



Johann Philipp Bauermeister

De Systemate Socinianorum Dogmatico

Commentatio Prima : Sacra Jesu Natalitia Pie Celebranda Indicit

Rostochii: Literis Adlerianis, MDCCCXXX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101576505X>

Band (Druck) Freier  Zugang  OCR-Volltext

Un. Rost. 1830

I - III

SACRA

JESU CHRISTI

NATALITIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

D. JOANNES PHILIPPUS BAUERMEISTER

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

H. T. RECTOR.



INEST:

DE SYSTEMATE SOCINIANORUM DOGMATICO

COMMENTATIO PRIMA.

ROSTOCHII

LITERIS ADLERIANIS.

MDCCCXXX.

7 48048

ATTENTAM

AC... ..

... ..



... ..

... ..

... ..

... ..

Ab initio quidem mihi erat propositum, Socinianorum placita comparare cum ea doctrina, quae Rationalistarum vulgo dicitur, a multis Christianorum nunc illa quidem comprobata, a paucis tamen sive illius naturam spectes sive summam satis intellecta. Comparatae enim inter se res planiores fiunt et ad intelligendum magis apertae. Multa vero eaque improvisa, quo minus, quod in animum induxeram, id perficerem, obstiterunt, atque, ut in una tantum parte consilii exsequenda acquiescerem, et solum systema Socinianae sectae exponendum mihi sumerem, effecerunt. Neque sic tamen me actum acturum confido; nam, uti omnia insolita, usque dum penitus cognita sint, nimiam aliorum admirationem solent excitare, apud alios in varias et injustas reprehensiones incurrunt, ita etiam decreta Socinianorum, quum primum excogitata essent, tanquam pessimae haereses et nefanda scelera damnabantur, et nunc plerumque immodicis efferruntur laudibus, ut veram eorum indolem cunctis notam fuisse

aut esse non liceat suspicari. Fontes autem eorum, quae de sectae scitis a me scripta sunt et scribentur, sunt libri Fausti Socini (1) et Catechismus Racoviensis (2), quorum illi inter hujus viri adseclas magnam, hic quasi symbolicam auctoritatem nacti sunt. Sed, ut justo ordine res, quae a me tractabuntur, sese excipiant, ita eas disposui, ut, praemissis iis, quae ad *fontem* religionis christianae cognoscendae pertinent, primum de *Theologia* Socinianorum agerem, deinde de eorum *Anthropologia* disputarem, postremo *Soteriologia* totam disputationem concluderem.

(1) Usus sum *Bibliotheca Fratrum Polonorum*, quos Unitarios vocant, edita Irenopoli post a. D. 1656; cujus *primus* et *secundus* tomus *Opera Socini* continet.

(2) Laudavi editionem ab *Oedero* adornatam et sic inscriptam: *Catechesis Racoviensis s. liber Socinianorum primarius* etc. Francofurti et Lipsiae. MDCCXXXIX.

EXPOSITIO.

§. I.

*Fons cognoscendae relig. christianae, quae eadem est
divinitus revelata, solum Novum Testamentum.*

Mire cum ecclesia nostra eo conspirare videtur Catech. Rac., quod quaest. 1 et 2. in scriptis *Vet. et Novi Test.* religionem christianam divinitus patefactam contineri declaret et praerogativam tantum aliquam Novo Testamento concedat. In illo enim loco viam consequendae vitae aeternae (quam *religionem christianam* esse ipse Catech. explicat) in literis sacris *praesertim* Novi Testamenti revelatam esse contenditur. Unde sequi videtur, e Vetere quoque Testamento religionis christianae cognitionem esse hauriendam et aliquam illius partem sive illam moralem sive dogmaticam pristinam auctoritatem inter Christianos quoque obtinere. Sed cave, ita statuas; etenim ad quaest. 51, (1) ubi de sufficientia *Sacrae Scripturae* sive *divinarum literarum* agitur, ita respondetur, ut solum Novum Testamentum in censum veniat; ex quo elucet, Vetere Testamento, si spectes ejus usum

(1) Scripta *divinarum literarum* esse certa — probasti, doceri amplius velim, an etiam sint ita sufficientia, ut in rebus ad salutem necessariis iis solis acquiescendum sit. R. prorsus sufficientia sunt ad eam rem, eo quod fides in Dom. Jes. Christ. et obedientia mandatorum ejus sit in iis *scriptis Novi Foederis* sufficientissime tradita et explicata.

moralem et dogmaticum, Christianos supersedere posse. Quid? quod quaestiones 17 et 18, religionis christianae veritatem in *Novo Foedere tantum nec in ullis aliis libris* comprehensam esse, ostendunt. Solum igitur Novum Testamentum fons est relig. christ. cognoscendae et in quaest. 1 et 2. scripta sacra omnino, non excluso Vet. Test., laudata esse verosimile est, ne lectorum animi statim ab initio libri novitate rei nimis percellerentur —. De fonte Faustum Socinum idem sentire, abunde prodidit libro de Sacrae Scripturae auctoritate, cum pag. 278. col. 2. dixerit: „qui novum testamentum recipit, habet in ipso, quidquid sibi est opus, quod attinet ad doctrinam. Quod, si tamen interdum in rebus ad doctrinam spectantibus est, quod Vetere quoque Testamento utatur, ea doctrinae pars tunc aliud nihil nisi historia censenda est, qualia sunt praecepta, quae deus per Moesen dedit.“ Huc etiam pertinent verba Socini in eadem disputatione obvia pag. 271. col. 2. „Considerandum est, (disputet contra quisvis) si recipiatur Nov. Test., non posse ad ipsam religionis summam quidquam fere momenti habere quamcunque Veteris Test. depravationem, cum nihil non levis momenti potuerit esse in Vetere Test., quod Novo non contineatur, nec quidquam illius recipiendum sit, quod non conveniat cum iis, quae in hoc sunt scripta. Adeo ut *utilis quidem* plures ob causas sit lectio Veteris Test. iis, qui Novum recipiunt i. e. hominibus christianae religionis, sed *non tamen necessaria*.“ Itaque ex Socini sententia Vetus Test., quamquam decreta a deo patefacta continens (de S. S. auct. pag. 271. col. 1. cf. cum pag. 271. col. 2. et pag. 267. col. 2.), tamen, postquam Novum accessit, superfluum est, nec ejus ullus amplius usus nisi historicus.

§. 2.

*Quo sensu religionem christ. revelatam esse dicant
deque usu rationis.*

Socinianos non alio sensu, quam quo confessionis Augustanae theologi, religionem christ. divinitus esse patefactam adse-
ruisse, nec ejus veritatem solum significasse, ideoque revelatio-
nem supernaturalem et immediatam, quam dicunt, intellexisse,
patet ex eo, quod aevum Socinianum, quidquid religionis ali-
cujus verum esset, quamquam facultate humana inventum, id
tamen divinum quoque s. divinitus patefactum dicere haud so-
lebat; cujus miri commenti laus iis demum temporibus debetur,
in quibus de religionis christ. divinitate coeptum est dubitari,
et satis esse ductum, si, quamquam notione mutata, vocabula
tamen in usu retinerentur. Idem licet colligere ex argumentis,
quibus, divinam esse religionem christ., probant, adeoque, si
sibi constaret Socinus, ex iis quoque, quae de religione naturali
statuit. Quod adinet ad argumenta Cat. Rac. a deo esse pate-
factam religionem ex eo demonstrat, quod divinus ejus sit auctor,
quod praecepta perfectam vitae sanctimoniam et promissa sum-
mum atque perfectissimum bonum comprehendant, quod homi-
nes viles et apud omnes contenti religionem primi propagave-
rint eosque nulla potentia, nullis opibus, nulla sapientia, nulla
denique auctoritate subnixos, sed praedicatione tantum et per-
suasione usos, quod brevissimo tempore mirum in modum cre-
verit religio, nec consilio nec astu nec ulla hominum potentia
suppressa omnes praeas religiones sustulerit, (quaest. 24 — 50).
Praeter haec argumenta alia quoque a Socino in Operibus pas-

sim sunt adlata, quorum duo tantum nominamus, a Scholasticis proferri solita, alterum a miraculis petitum, ⁽²⁾ alterum a decretis, quorum naturam et vim mens humana plane capere et intelligere nequeat, ⁽³⁾ i. e. ab iis, quae nos *mysteria* dicimus.

(2) In epist. ad Andream Dudithium, pag. 500, col. 1. sic scriptum est: „Ex iis, quae dicta sunt hactenus (explicuerat autem Socinus, cur sub Novo Foedere divina confirmatione miraculis effecta minus fuisset opus, quam sub Vetere) patet, ad doctrinam et religionem christianam confirmandam satis id fuisse, quod ab initio (scil. propagatae religionis christianae) divinae apparitiones et miracula manifesta in oculos hominum incurrerint, quousque ad efficiendum, ut ab orbe terrarum acciperetur, sufficeret, qui quidem alias eam, utpote rem novam atque insolentem, etsi per se rationi admodum consentaneam, et unicuique, cui aliqua modo est religio, valde credibilem atque probabilem repudiasset.“

(3) in eadem epistola atque pag. „Hoc enim illud est, quod, si quis animum adtendat, magno satis documento esse videatur, christianam religionem esse divinam; nimirum, quod in ipsa praecepta nonnulla et in his talia quaedam dentur, ad quae humana ratio per se ipsam pertingere nequiverit, quae nihilominus (posito praesertim vitae aeternae praemio, quod, ut ipsemet dicis, homines sibi etiam sine Christo aliquomodo imaginati erant) postquam innotuerit (forsan: innotuerint), fateri necesse sit, esse sanctissima ac omnino talia, qualia ad hominem numeris omnibus perfectum reddendum requirebantur.“ — *Valde igitur falsus est Moshemius in institut. histor. eccles. ed. alt. an. 1764 pag. 620. contendens, principem totius Socinianae religionis legem esse: nihil divini dogmatis loco haberi debere, cujus universam rationem et indolem humani vis ingenii haud assequatur et quaecunque de divina natura, de consiliis et decretis dei, de salutis obtinendae via sacrae literae praecipiant, et arte et ratione tam diu limanda esse, dum mentis nostrae facultatibus congruant. In eundem errorem abduci se etiam*

Veterum theologorum loquendi usum secutum esse Socinum, quum religionem christ. divinam diceret, ex his quoque, quae de naturali religione sentit, evinci liceret, si sibi in his plane constaret. Ille enim nec insitam esse hominum animis divinitatis opinionem, (4) nec ad dei aliquam notitiam posse contem-

passus est Schroeckhius. Vide enim ejus l.: christl. Kirchengeschichte seit der Reformation, Leipz. 1806. Tom. V. pag. 580. Praeter ea vero, quae Socinus in ll. laudatis aperte declaravit, isti duumviri erroris eo convincuntur, quod in systemate Socini plura dogmata sunt comprehensa intellectus humani limites prorsus excedentia, v. c. quae docentur de Christi persona etc. sed de his postea.

(4) Praelectionum theologiarum cap. II. (pag. 537. col. 1.) „Receptor hodie sententia est, homini naturaliter ejusque animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur et gubernentur, quaeque humanarum rerum imprimis curam gerat, hominibus consulat atque prospiciat. Haec sententia, quam nos falsam esse arbitramur, non aliunde potius orta esse videtur, quam ex eo, quod videantur omnes homines opinione ista divinitatis alicujus imbuti esse. Verum animadvertendum erat, ab ipso initio, cum homo creatus fuit, deum se illi patefecisse, qui primus homo, quum nongentis triginta annis vixerit, posteros suos facile divinitatis opinione imbuere potuit. Quamquam hac re opus non erat, cum ipse deus, non primo homini tantum, sed aliis subinde ab eo natis, sese variis rationibus patefecerit, quemadmodum ex sacra historia satis liquet.“ *Naturalem esse religionem negat, quod sit ex fide, testantibus S. Bibliis, quod religionem qui teneant, deo probentur, quo arguatur, fieri posse, ut aliquis eam animo suo non conceperit, nam, quae sint naturalia, ea esse omnino necessaria; quod S. S., aliquos atheos esse, doceat, denique quod non singuli homines tantum,*

planda natura et rebus externis (i. e. ratiocinando) ascendi, adserit, ⁽⁵⁾ omnia hujus generis ab iis, quae jam ab initiis generis humani et diversis deinde temporibus homines a deo sint edocti, derivans. ⁽⁶⁾ Omnino igitur *theoretica*, ut loquuntur,

sed integri populi hodie inveniantur, qui nullum penitus sensum aut suspicionem dei habeant.

(5) Prael. theoll. c. II. (p. 538. col. 1.) „At sunt, qui dicant, id saltem negari non posse, ex sola hujus mundi machina, si quis animum advertat, posse quemlibet, non solum deum esse, manifeste cognoscere, verum etiam rebus humanis eum prospicere, plane perspicere. Imo complures addunt, ex eadem machina omnes satis intelligere, quidquid opus est ad eam dei notitiam, ex qua omnis religio proficiscitur. Sententia ista similiter vel ex eo falsitatis convincitur, quod praestantissimi quidam philosophi, inter quos maxime, ut creditur, Aristoteles, qui ingenii acumine omnes superasse videtur, qui hanc mundi machinam non adspexerint modo, ut caeteri omnes, aut, quemadmodum multi fecerunt, eam sunt contemplati, sed diligentissime in ipsa universa, ejusque singulis partibus rimandis atque expediendis sunt versati, huc pervenire non potuerunt, ut deum inferiora haec singula curare suspicarentur vel hominum saltem singulorum curam habere intelligerent. Quin etiam ne creatum quidem a deo mundum fuisse assequi potuerunt, imo id plane negarunt.“

(6) Praeter praelect. theoll. c. II. (pag. 537. col. 2.) „Animadvertendum erat“ etc., de quibus vide supra, huc pertinet etiam ejusdem libri pag. 538. col. 2. in fine. „Verum (dicit aliquis) quomodo poterant homines sancte vivere secundum dei praecepta, si deum homines naturaliter non norunt? Respondeo, deum ab initio per multa saecula et ante et post diluvium, praesertim vero ante se ipsum hominibus patefecisse, adeo ut et ipsum et ejus voluntatem satis perspectam haberent. Quocirca si postmodo factum est, ut dei cognitione caruerint, id ipsorum culpa contigit, qui lumen illud divinum paulatim

ratio, qua ad numinis, ejus naturae et voluntatis, adeoque nexus inter ipsum et res externas intercedentis notitiam perveniri putant, haud agnoscitur, sed tantum *practica*. Eo enim auctore in omnibus hominibus a natura est aliquod justī atque injusti discrimen, aut certe in omnibus hoc situm est, ut cognoscant et fateantur, justum injusto anteponi debere, honestum turpi. Hoc autem nihil aliud esse, quam dei verbum quoddam interius, cui qui obediat, ipsi deo obedire, etiamsi ipsum deum ne esse quidem aut sciat aut cogitet. Nec dubium esse, qui hac ratione deo paruerit, illi etiam gratum futurum. (7) Itaque,

minui atque exstingui in se ipsis siverunt.“ *Qua ratione explicentur effata S. S. his Socini placitis contraria vide eodem loco. Eandem sententiam repetit Ostorodus in Institut. theol. christ. Sic enim ille: opinio divinitatis prorsus nobis non est naturalis — et falsum est, per naturae contemplationem — posse acquiri; quod autem de deo aliquid norunt, non habent e natura et contemplatione stellarum etc., sed ex auditu aliorum.“*

(7) *Praelect. theoll. pag. 539. col. 1. Cf. quoque Theses de causa et fundamento etc. Tom. I. pag. 627. col. 2. Hac parte, si non proferrentur adversis frontibus inter se pugnantis, Socinus longius abesset a rationalismo, quam ipsi librorum nostrorum symbolicorum auctores, qui multum abest ut, S. S. effatis perperam intellectis, homini facultatem dei quodammodo cognoscendi ullam esse omnino negent, ut hoc tantum statuunt „post lapsum Adae omnes secundum naturam propagatos nasci cum peccato i. e. sine metu dei, sine fiducia erga deum.“ Ex his verbis satis elucet, rationem eos non adeo depravatam fingere, ut ne suspicionem quidem numinis homo teneat. At tamen, ubi ille tangit practicam rationem, toto coelo diversa a libris symb. eccl. nostrae profert, eaque simillima*

si secum ipse non pugnaret Socinus, praeter *formalem* rationis usum, intellectum, (Verstand) in religione christ., nisi ubi tradit ea, quae sunt hominibus praestanda vel fugienda, admittere deberet. Adeoque *negativum* quoque ejus usum rejicere videtur, idque jure; nam si homo, solis viribus, quibus natura eum instruxit, utens, rerum divinarum tam ignarus est, ut nequeat, quid earum sit et quale hoc et an omnino sint, scire, propter id ipsum etiam, quid non sit, et quale non sit, decernere non potest, cum, ad quam quaecunque dijudicet, norma desit. Tangit autem istum usum in *Lectionibus sacris* pag. 209. col. 2. „Cum hic pro concessio ponamus, christianam rel. veram esse, necesse est, si quis velit aliquid ad doctrinam pertinens in scriptis istis ostendere esse falsum, idque non ex repugnantia ulla, quae in iisdem scriptis inveniatur, necesse est, inquam, ut vel ratione vel aliis divinis testimoniis id probet. *Ratione vix ullo modo fieri id potest, cum christiana religio non humanae rationi ullo pacto innitatur, sed tota ex voluntate dei pendeat et ex ipsius patefactione*“ At parum Socinus

placitis, quae hodie in scholis rationalistarum docentur. Falso autem ex eo, quod lege naturali observanda gratum fieri deo posse hominem ponat, colligas, religionis christ. ex ipsius opinione nullam esse vim ad salutem consequendam; nam, ut pauca tantum adferam, promissa praestantissima sunt data, quorum desiderio et spe homines permoti legem servandi difficultatem superant adeoque auxilium adjunctum, quo deus hominum mentem erudit et illustrat ad ipsius voluntatem recte percipiendam, quae in externo verbo propter res infinitas, de quibus in humana vita agere et deliberare contingit, expresse omnino contineri nequit etc. (Prael. theoll. pag. 541. col. 1. sqq.)

sibi constat, qui in aliis librorum suorum II. plus tribuit humano animo virium; nam in Epistola Andreae Dudithio scripta (pag. 498. col. 1.) ut certum sumit, posse atheos argumentis e philosophia depromtis refelli. (8) Sed quomodo hoc unquam fiet, nisi ratio humana ea suppeditat vel inveniendo par est, quibus persuasio aut notitia dei ejusque attributorum etc. nitatur? — Idem apparet ex absono modo, quo utitur in interpretandis S. S. locis, quibus veteres theologi v. c. dogma de morte Christi expiatoria (Praelect. theoll. pag. 577 et seqq.), de praecexistentia τοῦ λόγου (Christianae rel. institut. pag. 657.), vel alias doctrinas a Socino et ejus adseclis haud receptas, contineri recte arbitrabantur, atque ex disputandi eo genere, quo *internis ar-*

(8) Verba haec sunt: „Opus (nempe de S. S. auctoritate) tuo instinctu adornatum est, ideoque peculiaris tibi cura incumbit, ne penitus indignum sit, quod in magnorum tuique similium virorum manus perveniat. Ex eo specimen tibi capere promptum est, quid ipse facturus sim, ubi tu, quod contra *atheismum* meditaris, absolutum nobis dederis; quo opere procul dubio, vere eum te esse, qui es, palam facies, h. e. virum rara doctrina atque ingenio singulari praeditum, si *argumentis ex philosophia depromtis adversarios constrinxeris*, et ad id, quod asseris, confitendum adegeris praesertim quod ad praemia et poenas adtinet.“

Ne quis inhaerens particulae conditionali (si) mihi oggerat, a Socino, posse atheismum impugnari, h. l. neutiquam concedi, sed in incerto relinqui, an perfici tale opus queat, necne, hoc addo, neminem sanae mentis facile opinari, doctrinae rarae copiam ingeniique acumen eum palam facturum, qui desudet in re probanda, quae probari nequeat. Sed si haec tibi non sufficiant, adtento animo, velim, legas de S. S. auct. pag. 273. col. 2. „verum quibusnam“ etc.

gumentis iisque *theoreticis* multa dogmata ab ecclesia nostra sancita (v. c. de trinitate) falsa esse h. e. rationi repugnare, contendit, (9) quum, missis *theoreticis* argumentis, utpote quae desunt naturalem rerum divinarum cognitionem neganti, acquiescere deberet in hauriendis rationibus e S. S. Sed hic ejus est mos, ut dogma, contra quod disputet, ullo S. S. loco, contineri neget, vel placita ei contraria ex illo extricet, simul vero id ipsum rationi haud convenire clamitet et *internis* argumentis impugnare conetur. Quid? quod uno loco negativum rationis usum tam strenue defendit, ut, in explicanda S. S. malle se interpretationis grammaticae et historicae leges violare, quam, quod adverteretur rationi, inde eruere, haud erubescat fateri. (10) — At,

(9) Cf. *Prael.theoll.* pag. 549. col. 1. ubi disputat contra praescientiam divinam et sic pergit c. XI. „Cum igitur nulla ratio, nullus Sacrarum Literarum locus sit, ex quo aperte colligi possit, deum omnia, quae fiunt, scivisse, antequam fierent, concludendum est, minime adserendam esse a nobis istam dei praescientiam praesertim cum et rationes non paucae et sacra testimonia non desint, unde eam plane negandam esse, appareat.“ *Ejusdem coloris est Catech. Rac.*, in quo saepissime explicationes locorum S. S. in ecclesia nostra solennes eam ob causam vituperantur, quoniam inde consequatur dogma rationi repugnans. E magna exemplorum, quae adferri a me possint, copia, unum sufficiat. *Laudatis in quaest. 110. locis classicis, quibus Christi generationem ex essentia patris aeternam probare student, insequente quaest. sic pergitur: Quae vero ad haec testimonia respondendum est? R. antequam ad singula testimonia respondeam, sciendum est, eam ex essentia generationem esse impossibilem etc.*

(10) De Christo Servatore Tom. II. pag. 204. col. 2. „Ex iis, quae hactenus dicta sunt, tandem apparet, nullo modo potuisse Christum pro

qui negativum rationis usum admittit, et internis argumentis utitur, is, etsi nolit disertis verbis profiteri, tamen largitur,

peccatis nostris divinae justitiae satisfacere —. Qua re nequeo satis mirari, quid iis in mentem venerit, qui nobis primi istam satisfactionem fabricarunt, cum ea, quae fieri non posse aperte constat, *divinis etiam oraculis, ea facta fuisse, in speciem diserte attestantibus, nequaquam admittantur (et idcirco sacra verba in alium sensum, quam ipsa sonant, per inusitatos etiam tropos, quandoque explicantur).* — Ego quidem, etiamsi non semel, sed saepe id (nempe dogma de satisfactione) in sacris monumentis scriptum extaret, non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem —. Cum enim id omnino fieri non possit (scil. ut satisfactio pro peccatis deo per Christum sit exhibita), non secus atque in multis aliis scripturae testimoniis una cum caeteris omnibus facio, aliqua, quae minus incommoda videretur, interpretatione adhibita, eum sensum ex ejusmodi verbis elicerem, qui et sibi ipsi constaret et perpetuo ejusdem Script. tenori non adversaretur. Istam interpretandi (si interpretationis nomine tale molimen ornare fas est) absurdam legem sequendam ratus, Val. Schmalzcius in homil. VIII. supra init. c. I. Evang. Joh. Rac. 1615. „sese credere, profitetur, etiamsi non semel, sed satis crebro, et *apertissime* scriptum extaret, deum esse hominem factum, multo satius esse, quia haec res sit absurda et sanae rationi plano contraria, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de deo dici possint, quam ista simpliciter, ut verba sonent, intelligere.“ — Saepe autem fit, ut Socinus ejusque adseclae praeconceptas opiniones, Bibliorum effatis haud raro contrarias, pro rationis sanae decretis habeant, ideoque saepe sensum, dummodo opinionibus

hominem, sola natura duce, rerum divinarum saltem aliquid scire; itaque patet, iis, quae in principio Praelectionum theoll. a Socino de religione naturali erant dicta, neminem ita uti posse, ut, quo sensu religio christiana divina sit nuncupata, certo inde colligat.

§. 3.

De inspiratione.

Inspiratio, quam theologi in eo ponere consueverunt, vel quod deus aut Spiritus sanctus sacros scriptores, ut res divinas literis mandarent, impulisset (impulsus), deinde scribentibus et res et verba subministrasset (inspiratio realis et verbalis), vel saltem, quod cavisset, ne res divinas per Jesum edoctas monumentis tradentes erroribus contaminarent (inspiratio sensu negativo), an locum habuerit ex sententia Socini multa et olim fuit dissensio et adhuc dissentiunt. (II)

istis conveniat, e. S. S. extorqueant, contra quem et usus loquendi et grammatica pugnat.

(II) *In plane oppositas partes abeunt VV. DD., quorum alii Socinum inspirationem adseruisse contendunt, alii negasse adfirmant. Illis adnumeret Zieglerum in libro: Kurze Darstellung des eigenthümlichen Lehrbegriffs des Faustus Socinus pag. 206, quem invenies in l. Neues Magazin für Religionsphilosophie, bibl. Exegese u. Kirchengesch. herausgegeben von Henke, Tom. 4. fasc. 2. Winerum in l. Comparative Darstellung des Lehrbegriffs der versch. christl. Kirchenpartheyen, pag. 9. Contrarium defendit inter alios Bengelius; vide enim Sueskindii: Magazin für christl. Dogmatik u. Moral etc. Fasc. 14, pag. 158.*

Prostant enim praeter rationem, qua fides apostolica est demonstrata, et locos, e quibus utrisque, non adsertam eam fuisse, colligi queat, alii, quos ambiguae interpretationis dixeris esse. In eo libro, quem de S. S. auctoritate Socinus conscripsit et in quo vel maxime expectaveris inspirationis mentionem saltem esse factam, fides scriptorum N. T. eadem fere ratione evincitur, qua qualicumque scriptori, divino auxilio prorsus destituto, fidem habendam esse, solet probari, cum ostendere et voluisse eum verum dicere et potuisse student. Laudata enim eorum veracitate dei que timore, postquam nec gloriam eos neque utilitatem nec delectationem ex eo, quod data opera alios fallerent, percipere potuisse, adfirmavit, omnino tales depingit, qui prudentes mentiri nequiverint (pag. 266. col. 2.). Addendum, plerosque eorum ex ipsius Jesu discipulis fuisse ei intimis atque ab eo edoctis, ex quo sequeretur, eos non modo novisse, quae narraverint, sed iis fere omnibus interfuisse. „Quod ad Paulum attinet, quis dubitare potest, quin optime sciret, quid scriberet, cum non singulari tantum sed admirabili divinaque prorsus ratione electus a Christo fuisset ad nomen et evangelium ejus per terrarum orbem ferendum.“ — Reliquos vero, quamvis non apostolos, tamen tunc et ibi vixisse, ubi et quando Christus vixerit, ejus discipulis familiarissimi et socii, a quibus, quae ipsi non fuissent experti, facili negotio comperire potuissent (pag. 266. col. 1. et all. II.). *Accedit*, quod Socinus saepius errores esse commissos a scriptoribus sacris largitur, quo etiam factum sit, ut alius alii repugnet. Has autem repugnantias esse tantum in iis, quae parvi aut nullius sint momenti quaeque pertineant ad historiam, non ad doctrinam, (pag. 267. col. 1.). Sed in

additamentis quoque doctrinae vel ejus probatione fieri posse, ut leviter erraverint, fatetur (pag. 278. col. 2.). — In quo tamen animadvertas, nunquam doceri inter scribendas res ad doctrinam pertinentes auctores librorum ss. a deo fuisse adjutos, quamquam non raro, eos in his rebus *non potuisse errare*,⁽¹²⁾ contendat. Quorum verborum incerta saltem interpretatio a VV. DD. est habita. Sed cave ex illis comprobatae a Socino *infallibilitatis*, quam dicunt, ejusque inspiratione effectae suspicio in animum tuum obrepat, nam illud ipsum eo probatum est, quod alios fallere nolissent et certam eorum, quae tradiderint, scientiam tenuissent, utpote aut a Jesu ipso aut ejus apostolis edocti. Quo vero loco (obvio pag. 278. col. 2.) Socinus *ex divina eaque praesente patefactione* apostolis concessa doctrinae veritatem pendere ait, quoque incauti in errorem sunt inducti, is interpretandi difficultatem moveret, nisi ex sententiarum nexu, *patefactione* ista nihil significari nisi Jesu institutionem, satis appareret; etenim in eo ipso loco conceditur, in eo, quod ad probandam doctrinam pertineat (igitur quod de suis addiderint), leviter apostolos errare potuisse, et ubi divina patefactione *destituti* fuissent, non plane adfirmasse, sed tantum sententiam suam exposuisse. — Postremo eorum verborum rationem habeamus, quibus, ut probent, Socinum, apostolos fuisse inspiratos,

(12) pag. 278. col. 2. „Quod vero adinet ad quatuor Evangelistas, unum ipsorum, i. e. Johannem, ex ipsa historia apparet, fuisse apostolum Jesu et ab ipso singulariter dilectum, ideoque ejusmodi, ut *in doctrina errare non posset*, non magis *ferme* (!) quam Jesus ipse.“ cf. pag. 275. col. 2.

docuisse, potissimum insistunt. Disputans enim de rerum sacrarum fundamentis in Sacris Lectionibus pag. 287. col. 1. sic pergit „monumenta habemus scripta, quae nobis deus mirabili et benignissimo consilio dedit et conservavit, divinorum virorum; qui *vel ab ipso spiritu impulsus eoque dictante vel Spiritu sancto pleni* illa literis commiserunt.“ In quibus VV. DD. non satis attenderunt ad dichotomiam, quae quidem locum non haberet, si Socinus certo aliquid adfirmare in ea re, de qua quaerimus, voluisset; nam duo ista membra non idem valere et ex usu particulae *vel* apparet et inde quod ita plenus aliquis Spiritu esse possit, ut tamen eo neque impellatur ad scribendum neque literis tradenda sibi dictentur. Attamen ista verba ita sunt comparata, ut, ratione eorum, quae supra a nobis sunt disputata, simul habita, quae fuerit Socini de inspiratione sententia, inde conicere liceat. Ipsum quaecunque scripserint apostoli non a Spiritu derivasse, id planum faciunt ea, quae de levibus erroribus in rebus ad historiam pertinentibus et in argumentatione vel additamentis ab iis commissis fassus est; nam quod deum auctorem habet, non modo non magnos, sed nullos errores habet; at, utrum doctrina sit a Spiritu subministrata necne, vel dubius, haesit, vel, si non dubitavit, inspirationis dogma argumentis idoneis demonstrari posse, desperavit, saltem credere illud homini Christiano haud necessarium esse duxit.

Iisdem limitibus continentur ea, quae de certitudine SS. Literarum disseruntur in Cat. Rac. nam in hoc quoque libro *θεοπνευστίας* non fit mentio.

§. 4.

De Canone.

Qui libri et quot eorum ad Vet. et Nov. Test. pertineant, Cat. Rac. in incerto reliquit, in laudando Vet. et Nov. Test. in universum acquiescens; sed Socinus Novi Test. eos omnes pro canonicis habet, qui etiam ab Evangelicis Canoni adnumerantur (de S. S. auct. pag. 266. col. 1.) atque Veteris Test. eos agnoscit, qui Christi et Apostolorum tempore jam ut sacri a judaico populo recepti fuerant, et quos hodie quoque Judaei ut tales adprobant et agnoscunt, et apud omnes Christianos *sine controversia* plenam auctoritatem obtinent (de S. S. auct. pag. 270. col. 2.). Rejecit igitur nobiscum libros *apocryphos* Vet. Test. a catholica ecclesia dignitate canonica ornatos.

Sed de his nunc quidem hactenus. Reliquum est, ut Vos, Commilitones carissimi et honoratissimi, ea moneamus, quae nobis scribendi occasionem dederunt. Instant enim dies ab ecclesia memoriae nati Jesu Christi, Servatoris et Domini nostri, solemniter recolendae sacrae. Quos ut ea, qua Christianos decet, pietate concelebretis, hortamur atque rogamus. Estote igitur memores beneficiorum per J. C. in genus humanum collatorum, sacra publica religiose obite et Patrem coelestem precamini, ut, fide Vestra in Filium firmata, suo Vos Spiritu corroboret in componenda vita ad exemplar Ejus, qui homo natus est ἐπιφανὴς τοῖς ἐν σοφίᾳ καὶ σοσίᾳ Σαβάρου καὶ Δημένοισι. — Valete.

§. 4.

De Canone.

quod eorum ad Vet. et Nov. Test. pertineant, Cat. R. reliquit, in laudando Vet. et Nov. Test. in unive scens; sed Socinus Novi Test. eos omnes pro cano qui etiam ab Evangelicis Canoni adnume rantur (de pag. 266. col. 1.) atque Veteris Test. eos agnoscit, et Apostolorum tempore jam ut sacri a judaico popo erant, et quos hodie quoque Judaei ut tales adproba eunt, et apud omnes Christianos sine controversia oritatem obtinent (de S. S. auct. pag. 270. col. 2.). Test. a catholico nobiscum libros apocryphos Vet. gnitate canonica ornatos.

Sed de his hactenus. Vos, Commilitones Reliquum est, ut quae nobis scribenda honoratissimi, ea moneamus, ab ecclesia memoria dederunt. Instant enim dies nostri, solemniter ret Christianos decet, pietate Christi, Servatoris et Domini Estote igitur memores, hortamur atque rogamus. manum collatorum, m per J. C. in genus hu coelestem precamini, religiose obite et Patrem Vos Spiritu corroboret, ra in Filium firmata, suo qui homo natus est etiq a vita ad exemplar Ejus, καὶ ἀμείνων. — Valet.

